



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. D. Magistri Petri Lombardi Novariensis Episcopi
Parisiensis. Sententiarvm Libri IV. quibus vniuersæ
Theologiæ summa continetur**

Petrus <Lombardus>

Mogvntiæ, 1632

Distinct. VI.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38829

spicias, cum assumptum vel unitum, vel aliquem in huiusmodi locutionibus scriptura commemorat. Quocirca cum queritur sine proposita auctoritate, an aliquis vel quidam sit assumptus a verbo vel unitus verbo: sine distinctiōe intelligentiæ nō est hic reddenda responsio, quoniam multiplex premissa est questio, sed instantiam querentis ita determinato: Si de hominis persona queris, respondeo, non, si de hominis natura, dico, est.

DE INTELLIGENTIA HARVM LOCUTIONVM, Deus factus est homo, Deus est homo, an his locutionibus dicatur Deus factus esse aliquid, vel esse aliquid, vel non esse aliquid.

DISTINCT. VI.

A

EX præmissis autē emergit questio plurimum continens utilitatis, sed nimium difficultatis atque perplexitatis. Cum enim constet ex prædictis, & aliis pluribus testimoniis, omnesq; catholici vnanimiter fateantur Deum factū esse hominē, & Christum verum Deum esse, & verum hominē, queritur an his locutionibus, Deus factus est homo. Filius Dei factus est Filius hominis, Deus est Homo, & Homo est Deus, dicatur Deus factus esse aliquid, vel esse aliquid, vel aliquid dicatur esse Deus, & an ita cōueniat dici, Homo factus est Deus, & Filius hominis factus est filius Dei, sicut è conuerso dicitur. & si ex his locutionibus non dicitur Deus factus esse aliquid, vel esse aliquid, quæ sit intelligentia harum locutionum & similium. In huius profunditatis reueratione, & scrupulose quest. expositione plurimum differre inveniuntur sapientes.

De modo vniendi diuinam & humanā naturam secundum varias doctorum opiniones.

Quorundam sententiam refert.

B

Alii enim dicunt, in ipsa verbi incarnatione hominē quēdam ex anima rationali & humana carne constitutum, ex quibus duobus omnis verus homo con-

con-

cōstituitur: & ille homo cœpit esse Deus, nō quidē natura Dei sed persona verbi, & Deus cœpit esse homo ille: concedunt etiam hominem illum assumptum à verbo & vnitum verbo, & tamen esse verbum: & ea ratione tradunt dictum esse Deum factum hominem, vel esse hominē: quia Deus factus est, i. cœpit esse quēdam substantia ex anima rationali & humana carne subsistens: & illa substantia facta est, id est, cepit esse Deus, non tamen demigratione naturæ in naturam, sed vtriusque naturæ seruata proprietate factum est, vt Deus esset illa substantia, & illa substantia esset Deus. Vnde vere dicitur, Deus factus est homo, & homo factus est Deus, & Deus est homo, & homo Deus, & filius Dei fili⁹ hominis, & econuerso. Cumq; dicant illum hominē ex anima rationali & humana carne subsistere, nō tamē fatentur ex duab⁹ naturis esse compositum, diuina scilicet & humana: nec illius partes esse duas naturas, sed animā tantū & carnē.

Auctoritates ponit quibus muniunt suam sententiam.

*13. cā. 19. ad
medium.
Cap. 38. ad
princip.*

*Ibid cap. 31.
in fine.*

*Ibid cap. 36.
in princip.*

Et ne de suo sensu tantum loqui putētur hanc sententiam pluribus muniunt testimoniis. Ait. n. Au. in l. de Tri. Cum legitur, Verbum caro factum est, in verbo intelligo verum Dei filium, in carne agnosco verū hominis filium, & vtrunq; simul vnā personam, Deum & hominem ineffabilis gratiæ largitate coniunctum. Idē in Enchir. Christ⁹ Iesus de Deo est: homo autē nat⁹ est de spiritu sancto ex Maria virgine. Vtraq; substantia, diuina & humana, filius est vnicus Dei patris omnipotētis, de quo procedit Sp. sanctus vtrunq; vnus: sed aliud propter verbum, & aliud propter hominem: nō duo filii De⁹ & homo, sed vn⁹ Dei filius. De⁹ sine initio, homo à certo initio. Idē in eodē, Quid natura humana in Christo homine meruit, vt in vnitatē personę vnici filii Dei singulariter assūpta esset? Qua

bona

bona volūtas, quę bona opera præcesserunt qui
 b^o mereretur iste homo vna fieri persona cū Deo?
 Nunquid antea fuit homo, & hoc ei singulare be-
 neficium præstitum est, vt singulariter promere-
 tur Deū? Nēpe ex q̄ homo esse cœpit, nō aliud cœ-
 pit esse homo quam Dei filius, & hic vnicus: & pro-
 pterea Dei verbum, quia est ab illo suscepta caro,
 facta est vtiq; Deus, vt quęadmodum vna est per-
 sona qui libet homo, anima scil. rationalis & caro:
 ita sit Christus vna persona verbū & homo. Idem
 super Ioan. Agnoscamus geminam substantiam
 Christi, diuinā sc. q̄ equalis est Patri: & humanā,
 qua minor est patre, vtrumq; aut simul non duo,
 sed vnus est Christus, ne sit quaternitas, non Tri-
 nitas De^o. Ac per hoc Christus est Deus, anima ra-
 tionalis & caro. Idē quoq; in l. de prædest. sanct. Ille
 homo vt à verbo patri coæterno in vnitatem per-
 sonę assumptus filius Dei vnigenitus esset, vnde
 hoc meruit? quod bonum ei^o præcessit, vt ad hanc
 ineffabilem excellentiam perueniret? Faciente ac
 suscipiente Deo verbo, ipse homo ex quo esse cœ-
 pit, filius Dei vnicus esse cœpit. Item homo qui cū-
 que ita gratia sit Christian^o, sicut gratia homo, ille
 ab initio fact^o est Christus. Idē lib. 13. de Trin. G. a-
 tia Dei nobis in homine Christo commenda- ur.
 Quia nec ipse vt tātā vnitatem Deo vero cōiunct^o, v-
 na cū illo persona fili^o Dei fieret, vllis est præcedē-
 tib^o meritis assecut^o. sed ex q̄ homo esse cœpit, ex
 illo est & De^o. Vnde dictū est, Verbū caro factū est.
 Hilar. quoq; in 10. l. de Trin. ait Christū nō ambigi-
 m^o esse Deū verbū, neq; rur^o filiū hominis ex ani-
 ma & corpore constituisse ignoramus. His aliisque
 autoritatibus vtuntur, qui hominem quendam
 ex anima rationali & carne cōpositū dicūt Deum
 factum, sed gratia, nō natura. Sola. n. gratia, ha-
 buit ille homo, nō meritis vel natura, vt esset Deus
 siue Dei filius, vt haberet omnē scientiam & potē-
 tiam,

In c. 9. vna 68.

78 in fin. ex-

ponēs illud.

Quia pater

maior ma-

est.

Cap. 85. in

princ. 10. 7.

Ibid. paulo

inferius.

Lib. 13. ca. 17

ad princ.

Hilar. post

med. lib. 10.

tiam, quam habet verbum cum quo est vna persona. Nec tamen in superiorib. legitur, quod homo ille sit vna persona cum verbo, & sit ipsum verbum, sed etiam quod anima rationalis & caro eadem persona sit, & Christus sit, & Deus.

Aliorum sententia.

Sunt autē & alii qui istis in parte consentiunt, sed dicunt hominem illum non ex anima rationali & carne tantum, sed ex humana & diuina natura, id est, ex tribus substantiis, diuinitate, carne, & anima constare: & hunc Iesum Christum fatentur, & vnā personā tātū esse: ante incarnationem v. solummodo simplicem, sed in incarnatione factam compositam ex diuinitate & humanitate. Nec est ideo alia persona, quā prius, sed cum prius esset Dei tantum persona, in incarnatione facta est etiā hominis persona: nō vt duæ essent personæ, sed vt vna & eadē esset persona Dei & hominis. Persona ergo que prius erat simplex, & in vna tātū natura existēs, in duab⁹ & ex duab⁹ subsistit naturis: & persona quæ tantum Deus erat, facta est etiam verus homo subsistens non tantum ex anima & carne, sed etiam ex diuinitate, nec tamen persona illa debet dici facta persona, quāuis dicatur facta persona hominis. Facta est igitur illa persona (vt quibusdam placet) quiddam subsistēs ex anima & carne, sed non est facta persona vel substantia vel natura: & in quantum est illa subsistens, composita est: in quantum autem verbum est, simplex est.

*Hæc opp. nō
tenetur.*

*Lanfrancus
ad sextam
Berengarii
obiectionem
responsione
id habet, &
refertur de
consec. dist.
2. à Gratia-
no.*

Authoritates etiam ponit, quæ hanc probant sententiam.

De hoc Aug. in lib. sententiarum Prosperi ait, Modis omnib. approbare cōtendim⁹ sacrificium ecclesię duob. cōstare, duobus confici: visibili elementorum specie, & inuisibili domini nostri Iesu Christi carnē & sanguine, sacramento & re sacramēti, id est, corpore Christi: sicut Christi persona con-

stat

stat & conficitur ex Deo & homine, cum ipse Christus
verus sit Deus & verus homo. Quia omnis res
illarū rerū naturam & veritatē in se continet, ex
quibus cōficitur. De hoc eodē Ioa. Damasc. In do-
mino nostro Iesu Christo duas quidē naturas cog-
noscim⁹, vnam autē hypostasim ex vtriusq; cōposi-
tā: Incarnat⁹ est ergo Christus, ex virgine assumēs
primitiam nostræ massæ, vt ipsa extiterit in carne
hypostasis, quæ Dei verbi hypostasis composita &
facta fuerit, quæ prius simplex erat verbi hypo-
stasis. Cōposita vero ex duabus perfectis naturis,
Deitate & humanitate: & fecerat ipsa diuinæ ver-
bi Dei filiationis caracteristicum & determinati-
uū idioma: secundum q̄ diuisa est à patre & Sp. S.
& carnis caracteristica & determinatiua idioma
ta: secundum q̄ differat à matre & reliquis homini-
bus. Item, vnam hypostasim filii Dei cōstemur in
duabus naturis perfectè se habentibus, deitatis: &
humanitatis: & incarnatā esse eandem hyposta-
sim, & has duas naturas custodiri & manere in ipso
post vnionē, non seorsum & secundum partes po-
nentes singulam, sed vnitas inuicem in vnam cō-
positam hypostasim: substantialem n. inquit v-
nionē: scil. veram, & non secundum phantasiā:
substantialē autem, non duabus naturis perficiē-
tibus alteram, scil. vnam cōpositam naturam, sed
vnitas inuicem in vnā hypostasim cōpositam filii
Dei: & manere eandē substantialem differentiam
determinauimus. Quod creabile mansit creabile,
& quod increabile increabile, & mortale mortale,
& immortale immortale, & circumscribibile, cir-
cumscribibile, & incircumscribibile incircūscri-
ptibile: & hoc quidem refulget miraculis. De hoc
etiam Augustinus in libro de Trinitate ait. Que-
madmodum secundum deitatem vna est patris
filii q̄ natura, ita etiā iuxta humanitatē eadē est
matris & filii vna natura. Ex vtraq; ergo substā-

M m tia

Ca 5 li. 2. de
orthod. fide:

Lib. eod. c. 33
in medio.

Au. ser. 193.
de temp. qu.
est 5. in festo
S. Trinit. 10.
id habet.

Cap. 17 in
principio.

Substantia & diuinitatis & humanitatis vnus aut
idē est Deus, Dei & hominis filius Iesus Christus
vt verus Deus, ita etiam homo verus. Idē etiam
in libr. 13. de Trinit. Sic Deo coniungi potuit hu
mana natura, vt ex duabus substantiis fieret vna
sona. Ac per hoc iam est ex tribus, Deo, anima, &
carne. His aliisque pluribus auctoritatibus se mu
niant, qui dicunt personam Christi compositam,
esse vel factam siue cōstantem ex duabus naturis,
siue ex tribus substantiis.

Tertia aliorum sententia.

Sunt etiam alii, qui incarnatione verbi non so
lum personā ex naturis compositam negant, verū
etiam hominem aliquē siue etiā aliquam substā
tiam ibi ex anima & carne compositā vel factā dif
ferentur. Sed sic illa duo, scilicet, animam & carnē
verbi personę vel naturę vnita esse aiunt, vt non
ex illis duobus vel tribus, aliqua natura vel perso
na fieret siue componeretur, sed illis duobus velut
indumēto verbum Dei vestiretur, vt mortalium
oculis cōgruēter appareret. Qui ideo dicitur ver
factus homo, q̄a veritatē carnis & animę acce
pit. Quę duo etiā in singularitatē vel vnitatē suę
personę accepisse legitur, nō quia illa duo vel aliqua
res ex illis cōposita sit vna persona cum verbo, vel
sit verbū, sed quia illis duobus accedētib; verbo
nō est personarū numer⁹ auct⁹, vt fieret quaterni
tas in Trin. & quia ipsa persona verbi, q̄ prius erat
sine indumēto, assumptione indumēti non est di
uisa vel mutata, sed vna eadēque immutata per
māsit. Qui secundū habitū, Deum hominē factum
dicunt. Accipiēdo n. hominē dict⁹ est Deus, faciens
est homo, & p̄pter acceptū hominē, dicitur Deus
verē esse homo, & p̄pter assumentē Deum dicitur
homo, esse Deus. Nā si esētiāliter, inquit illi De⁹
esse homo, vel homo esse De⁹ intelligeretur, tūc
De⁹ assumpsisset hominē in sexu muliebri, & ma
liē

Greg. hom.
8. ad cap. 1.
Eze. 6.

lier essentialiter Deus esset & eōuerso. At potuit Deum assumpsisse hominem in sexu muliebri, potuit ergo mulier esse Deus & econuerso.

Auctoritates inducit quibus hæc sententia roboratur.

G

Ne autem & isti de suo sensu influere videatur, testimoniis in medium productis quod dicunt eō firmant. Ait n. Aug. in li de gratia noui testamenti. Sicut non augetur numerus personarum, cum caro accedit animæ ut fit vnus homo, sic non augetur numerus personarum, cum homo accedit verbo, ut fit vnus homo Christus: legitur ita Deus homo ut intelligamus huius personæ singularitatē, non ut suspicemur in carnē mutatam diuinitatē. Idē quoq; tractans illud verbum Apost. Habitu inuentus est ut homo, manifestē ostendit Deum dici factum esse hominē, vel esse hominē secundum habitum in li. 83. quæstionum ita inquis. Multis modis habitum dicimus, vel habitum animi, sicut disciplinæ præceptionē vsu firmatā, vel habitum corporis sicut dicim⁹, aliū alio validiorē, vel habitū eorum q̄ membris accommodantur extrinsecus, ut cū dicimus aliquē vestitū vel calceatū, & huiusmodi. In quibus omnib. generibus manifestū est in ea re dici habitum, q̄ accidit vel accedit alicui, ita ut eā possit etiā non habere. Hoc autē nomen ductū est ab illo verbo quod est habere. Habitus ergo in ea re dicitur, q̄ nobis ut habeatur vel accidit vel accedit: veruntamē hoc interest, quia quedam eorū q̄ accidunt vel accedunt, ut habitum faciant nō mutatur, sed ipsa mutāt in se integra & inconcussa manētia, sicut sapientia accedēs homini, nō ipsa mutatur, sed hominem mutat, quē de stulto sapientē facit. Quædā vero si accedūt vel accidunt, ut mutant & mutentur ut cib⁹ q̄ amittens speciē suā in corpus vertitur, & nos cibo refectione, ab exilitate atq; languore in robur atq; valentiā mutamur. Ter-

*Epist ad Hō-
neratū 110:
in fine ca. 4:
in tom. 2.*

Philip 2.

*In princ. quæ-
73. in to. 4.*

*Ibid. paulo
inferius.*

*Ibid. paulo
inferius.*

tium gen^o est, cum ea q̄ accidunt, vel accedunt, ne
mutat ea quib^o accidunt, nec ab eis ipsa mutan-
tur, sicut annul^o positus in digito, q̄ genus raris-
sime reperitur. Quartū genus est cū ea quę accidunt
vel accedunt, mutatur nō à sua natura, sed aliam
speciē & formam accipiunt, vt est vestis, q̄ deiecta
atq̄ deposita non habet eā formam q̄ sumit indu-
ta, Induta n. mēbris accepit formam, q̄ non habe-
bat exuta, q̄ genus congruit huic comparationi.
Deus n. filius semetipsum exinaniuit, nō formam
suam mutans, sed formam serui accipiens, neque
cōuersus aut transmutatus in hominē amissa in-
cōmutabili stabilitate, sed in similitudine homi-
num factus est ipse susceptor, verum hominē sus-
cipiendo habitu inuentus est, vt homo, i. habendo
hominē inuentus est vt homo, non sibi sed eis q̄

*Ibid. paulo
inferius.*

b^o in homine apparuit. Quod autē dicit vt homo,
veritatē exprimit. Nomine ergo habitus satis si-
gnificauit Apostolus, qualiter dixerit in similitu-
dinē hominum factus, q̄a non transfiguratione in
hominē, sed habitu factus est, cum indu^o est ho-
minē, quem sibi vniens quodāmodo atq̄ confor-
mans immortalitati eternitatiq̄ sociaret Non er-
go oportet intelligi mutatum esse verbum susce-
ptione hominis, sicut uec mēbra veste induta mu-
tantur, quamuis illa susceptio ineffabiliter susce-
ptū suscipiēti copularer. His verbis apertē innue-
re videtur Aug. Deū dici factum hominē secundū
habitum. Qui etiā ipsius incarnationis modū vo-
lens exprimere quærētibus in 4. lib. de Trin. ait. Si

*Cap. 12. ad
medium.*

quæritur incarnatio quomodo facta sit, ipsum ver-
bum Dei dico carnē factum, i. hominē factum, nō
tamē in hoc q̄ factum est, conuersum atq̄ muta-
tum, sed carne, vt carnalibus congruenter appare-
ret, indutum. Ita sanē factum, vt ibi non sit tantū
verbū Dei & hominis caro, sed etiā rationalis ho-
minis anima. Atq̄ hoc totū & Deus dicatur p̄pter

Cap. 2.

Deum

Deum
intelli
do, &
li. de fi
& ve
In eo v
natur
nam si
liud fu
nisi for
vtraq̄
plena e
na nat
p̄ seips
quem
eodem
suscepi
homin
uerfat
tulisse,
10. lib.
ex Mar
cet, qu
serui a
fection
in for
ma ser
homin
tus ill
ro illa
cati. A
tentia
POST
nius

Deum, & homo propter hominē. Quod si difficile intelligitur, mēs fide purgetur à peccatis abstinēdo, & bona operando: difficilia n. sunt hæc. Idē in li. de fide ad Petrum, Dei filius cum sit Deus ætern⁹ & verus, pro nobis factus est homo verus & plen⁹.

In eo verus, quia veram habet Deus ille humanam naturam: In eo verò plenus, quia & carnē huma-

nam suscepit & animam rationalē. Item, nō ad aliud fuit illa Dei summi susceptio vel exinanitio, nisi formę seruilis inest naturę humanę susceptio: vtraq; ergo est in Christo forma, q̄a vtraq; vera & plena est in Christo substantiā diuinā scil. & huma-

na natura: Idē in li. contra Maximinum, cum esset p̄ se ipsum inuisibilis, visibilis in homine apparuit, quem de scēmina suscipere dignatus est. Idem in eodem. Nos Christum dominum verū hominem suscepisse credimus, & in ipso visibiliter inuisibilē

hominibus apparuisse: in ipso inter homines conuersatum fuisse, in ipso ab hominibus humanā p̄tulisse, in ipso homines docuisse. Hilarius quoq; in 10. lib. de Trinit. ait. Quomodo Dei filius natus est ex Maria, nisi quod verbum caro factum est, scilicet, quod filius Dei cum in forma Dei esset, formā serui accepit: Vnum tamen eundemq; non Dei defectio-

ne, sed hominis assumptione profiteamur: & in forma Dei propter naturam diuinam, & in forma serui ex conceptione spiritus sancti secundum hominis habitum repertum fuisse. Non fuit habitus ille tantum hominis, sed vt hominis, neq; caro illa caro peccati, sed in similitudine carnis peccati. Audistis tres secundum diuersos positas sententias, & pro singulis inducta testimonia.

POSITIS SENTENTIIS PROLATISQVE TESTIMONIIIS intelligentias propositarum locutionum exequitur secundum singulas sententias, & prius secundum primam.

* *

M m 3 DIS-

Ibid. in fin.

cap. 2.

Aug. lib. de

fide contra

Manichæos

in princ.

c. 22. tom. 6.

In eod. lib.

contra Ma-

nichæos in

princ. ca. 6.

Hilar. ante

med. lib. 10.

Ibid paulo

inferius.